

si no hay violencia física, hay una verdadera *violencia moral*, contraria á aquella plena libertad que ha querido proteger el Trid., s. 24, c. 6; la cual sentencia práctica es confirmada claramente por muchas declaraciones de la C. del Concilio (*v. Act. S. Sed.*, I, p. 54). *Tercero*, este impedimento es temporal por su naturaleza, así que, apenas la mujer es restituida á su plena libertad, puede contraerse matrimonio; y por el contrario, dura mientras está en poder del raptor, por lo que es nulo el matrimonio aunque ésta consienta libremente, como resulta del decreto tridentino (S. A., 1032). Si valen los esponsales mientras la mujer está en poder del raptor, se disputa, y, por consiguiente, en la práctica no ha de imponerse como absoluta tal obligación. Por estas reglas debe guiarse el sacerdote, tanto al responder cuando fuese preguntado, cuanto en el decidir en los casos que ocurran. En cuanto á la excomuni6n de los raptores con fin de matrimonio, véase en el *Comentario*, C. V, § 6.

19.^a El mal llamado matrimonio civil, ¿puede considerarse como promesa de esponsales? No, como declaró la S. C. del Conc. en 13 Marzo 1879, con la aprobaci6n de León XIII, determinando que *matrimonium civile, sive fideles intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem ex ignorantia, aut in spre-tum ecclesiasticarum legum, intendant matrimonium de praesenti contrahere, impedimentum publicae honestatis non contrahere*. Y la raz6n, en substancia, es que *actum illum coram Deo et Ecclesiae nullo in pretio habendum esse, neque ratione sacramenti neque ratione contractus*, como declaró la S. Penitenciaria en la *Instruc.* 15 Enero 1860 por orden de Pío IX. Ni aun los matrimonios clandestinos tienen fuerza de esponsales, porque son de ningún valor, como declaró la S. C. citada por S. A., VI, 1079.

§ XIII. DIRECCI6N DE CASADOS

109. Principios.—I. Tenendum est quod circa peccata conjugum respectu ad debitum marital, ordinarie loquendo, confessarius non tenetur nec decet interrogare, nisi adsit gravis probabilitas seu prudens dubium quod poeni-

tens hujusmodi peccatis inquinetur (S. A., *Prax.* 44); quod interrogare debet quoties graviter suspicetur illum obligationi suae non facere satis, quia integritatem confessionis, quidquid dicant, procurare debet, quin timeatur ne forte a bona fide exturbetur, tum quia difficillime, experientia teste, inest bona fides, saltem post aliquod temporis spatium (*v. Nardi Dissertat. de sanct. matrim.*, 1896, p. 2.^a, art. 1), tum quia si forte, ut communiter contingit, mala fide silentium servet, damnationem in dies acquirat, saltem quia (si est mulier) ignorat quomodo sese gerere debeat cum viro onanista, tum quia damnata fuit (S. U. I., 21 Mayo 1851, ap. Gur., II, 924) ut *falsa, nimis laxa et in praxi periculosa* propositio, quae dicebat nunquam de hoc interrogandos esse conjuges etiamsi prudenter timeretur ne matrimonio abutantur; quod interrogare non debet ultra quod praecise opus habet ad peccati speciem intelligendam, adeo ut *si salvus sit principalis finis matrimonii, prolis scilicet generandae, reliqua confessarius praetermittat*, ut Cajetanus (ap. Giord., II, 16) optime statuit vel edixit; quod plerumque vero uxores interrogandae sunt an debitum reddiderint, modestiori semper quo fieri potest modo, puta, *an fuerint obediens viris in omnibus* (tacendo absolute de aliis nisi interrogatus), quia multoties propter hoc solum, ait D. Alph., damnantur, et in causa sunt cur etiam viri damnentur tum propter blasphemias ad quas, negando, eos provocant, tum quia ad mille scelera effraenati decidunt, cum observent sibi negare quod debetur; quae tamen interrogationes, ut plurimum, omit-tendae sunt cum uxoribus, quae vitam spiritualem profitentur, non vero tamen cum quibusdam falsis devotis, quae magna illusionem decipiuntur, qua pietatem suspectam reddunt (S. A., *H. A.*, tr. ult. 22; *Prax.* 35, 41; Scav., IV, 503).

II. Ad jus utendi vel usum juris matrimonii quod atinet, prout ex vinculo matrimoniali exurgit, adverte quod, matrimonio contracto in bona fide, si dubium superveniat, et, adhibita diligentia, vinci non possit, conjuges dubitantes (vel eorum alter, si unus tantum dubitet) etiam petere possunt, quia cum ignorantia post diligentiam adhibitam, invin-

cibilis evadat, manet possessio pro valore matrimonii, qua nemo privandus est, nisi constet de impedimento; quod dicendum etiamsi habeant rationem probabilem pro invaliditate matrimonii et nullam pro valore, et a fortiori quando adsint rationes hinc inde probabiles, seu in dubio positivo pro valore et nullitate (S. A., 904, 905 y 907; Giord., II, 10); *quod* matrimonio jam inito, durante dubio de ejus validitate, dubitans ante diligentiam ad vincendum dubium non potest petere, sed potest et tenetur reddere alteri in bona fide petenti, quia in dubio nemo privandus est jure suo certo (S. A. cum. comm.); at, perseverante dubio post diligentiam adhibitam, potest et petere, licet dubium antecesserit matrimonium, quia succedit iudicium vere probabile de valore actus, nec, ad minus, conjux dubitans est in praxi inquietandus (1); *quod* item dicendum est si, matrimonio inito cum dubia fide in utroque conjuge, ambo dubium per diligentiam excusserint vel remedium adhibuerint (puta dispensationem ad cautelam); *quod* si non penitens dubitet, sed alter conjux, cujus dubitatio confessario manifestatur ab ipso poenitente consilii causa, indulgeat ipsi ut propter ejus, quae supponitur, bonam fidem, libere petat et reddat (quamvis non teneatur reddere), cum cooperatio sit tantum materialis, et totalitiam sit ex parte alterius (Giord., l. c., 5); *quod*, cum matrimonium sit aliquo impedimento nullum, conjux nullatenus reddere potest, licet alter sit in bona fide et licet ipse apud Ecclesiam probare non possit, ita ut compelleretur reddere, quia *debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium* (quod esset prorsus fornicarium) *peccatum operari mortale*, ut ait diserte C. *Inquisitioni* 44 de sent. excom.; cum tunc excommunicatio non

(1) Giordan., II, 11; Bonac., q. 4, p. 4, n. 10 cum Sanch. et aliis ap. S. A., 906, qui tamen non videtur hanc praxim approbare. At nonne ex opposita sententia rigidiori miseri conjuges, ait merito Giordanini, constituuntur in statu lacrymabili damnationis, cum ex una parte, rebus sic stantibus, matrimonium solvi non possit quoad vinculum sine certitudine mortis prioris conjugis (de quo casu hic praesertim agitur), et ex alia eis interdicatur usus conjugalis, dum tamen adsint tales rationes, ex quibus prudenter reputatur matrim. valuisse ab initio et valere? Judicent peritiores; at, meo iudicio, praxis haec tuta omnino fundataque videtur.

liget, tum quia nititur falsa praesumptione, tum quia in hoc casu deest peccatum mortale, sine quo non incurritur (Bonac. *de matr.*, q. 4, p. 4, n. 17); *quod* si poenitens invalide contraxerit bona fide ob impedimentum occultum, et periculum sit infamiae, scandali aut incontinentiae nullitatem ei manifestando, relinqui potest in bona fide, donec obtineatur dispensatio (nisi de facili et statim obtineri possit); quo casu et obligari potest ad debitum reddendum, quia ex dicamine suae conscientiae, licet falsae, tamen vero rectae, tenetur reddere (S. A., 611, 1123).

III. Ad jus item utendi, prout ex conjugum mutuis relationibus in matrimonio emanat, haec tria pro praxi meminisse juvabit, nempe; ad quid mutuo teneantur, quid possint quin teneantur, quid e contra non possint nedum teneantur. Quoad primum haec teneto. Conjuges, *teneantur* per se ex justitia, etsi nulla lege obligentur ad usum matrimonii, reddere debitum cum alter expresse vel tacite petit, ut patet ex natura matrimonii; et etiam cum levi damno, quia huic praeponderat lex justitiae obligans sub gravi (S. A., 590); *teneantur* per accidens petere, saltem ex charitate, cum alter est in periculo incontinentiae, a qua proinde obligatione, cum sit ex charitate tantum, eximuntur propter magnum incommodum, puta, si uxor in petendo magnam verecundiam subire deberet (S. A., 929). Quoad secundum haec item teneto. Possunt quin teneantur reddere, *etiamsi* uxor experta sit se filios parere mortuos, quia remedium huic malo non suppetit; at cum hoc nimium generet moerorem non inquietanda si neget, nisi dissidia ex denegatione subsecutura sint vel adsit periculum incontinentiae (S. A., 952-53; Gur., *Cas.* II, 1082; Scav., III, 844); *etiamsi* conjux incestuosus petat, quia, licet sit privatus jure suo, conjux tamen innocens, cum habeat jus petendi, a fortiori habet jus reddendi, alioquin grave onus deberet subire (maxime uxor) si semper deberet petere, quod onus satis excusat a cooperatione ad materiale peccatum incestuosi (S. A., 945; Gur., *Cas.* II, 1083); *etiamsi* uxor gravi de causa reddat viro onanistae, ut explicabitur in *Conclus.* 5.^a; *etiamsi* alter petat immoderate, puta, ordinarie

plusquam ter in eadem nocte, vel quando frequentia coitus, puta, propter phthisim incipientem, vel propter quemcumque morbum (quod raro contingit) copula ruinosa sit, modo non proxime ad mortem inducat; *etiamsi* petat conjux amens vel ebrius, modo absit periculum scandali vel abortus, quia usus matrimonii est adhuc per se licitus (S. A., 940, 948 y 952); in quibus omnibus casibus potest consequenter conjux debitum denegare, modo absit in utroque periculum incontinentiae. Quoad tertium haec demum teneto. Nedum teneantur, *non possunt* reddere cum gravi periculo suae vitae (puta, uxor in pariendo) aut sanitatis, quia nemo est dominus vitae suae (*Suppl.*, q. 61, a. 1; S. A., 950); *nec item uxor* cum periculo abortus, quia cum actus tunc sit per se malus, effici non potest sine peccato; *nec item* cum peccato proprio vel tantum veniali, licet in hoc casu mulier reddere possit quando adsit justa causa, puta, ne incurrat indignationem alterius, quia quaelibet justa causa excusat a veniali (S. A., 924, 942-46).

IV. Quoad usum vero matrimonii, prout est merus usus facti, ad opportunas (quando necessitas exigit) interrogationes faciendas sedulo advertat confessarius, *primo*, conjuges tum solum et quidem semper peccare lethaliter, cum aliquid positive agunt contra finem principalem matrimonii, seu ad impediendum prolificae substantiae effusionem in ordine ad generationem, per naturalem conjunctionem, adeo ut quidquid per se minus necessarium minusve utile est ad actum generandi, dummodo obicem non constituat, nonnisi leve peccatum constituat et proinde non sit materia necessaria confessionis (Gur., II, 918; Ball. ad G., II, 912; Giord., II, 16); *secundo*, ergo non de facili damnandos esse de mortali, si eo modo utantur quo proles concipi et nasci possit, quin ad modum plusve minusve decentem attendamus, ut gravitatem peccati rite pensemus, cum decentia modi sit per se quid accessorium ad finem principalem (Giord., II, 75; Ball. l. c.); *tertio*, a peccatis levibus propter indecentiam admissis eum conjugem excusari, qui, cum sine alterius offensione quaedam recusare non possit, passive quodammodo se habeat, ea mere permittendo; *quarto*, leves has culpas, ubi

poenitens confiteri velit, designandas esse generali formula, quin permittat, nedum exquirat, illum unquam designare cujusmodi in particulari illi actus fuerint; quod esse sanctitati sacramenti contrarium, et utriusque valde periculosum nemo non videt.

V. Ad plurimas dubitationes diluendas, quae de facili obvenire quoad conjugum directionem possunt, pro praxi admonendi sumus, *quod* cum dubitatur, propter aliquod impedimentum juris ecclesiastici (non divini aut naturalis), de validitate matrimonii jam contracti, certe haberi illud potest ut validum quando agitur de dubio juris propter rationem allatam c. VI, § 12, *Pr. X*, pág. 373, *quod* ad revalidandum matrimonium nullum ob occultum impedimentum vel ob invalidum consensum sed in faciem Ecclesiae jam rite celebratum, non requiritur (obtenta dispensatione) revalidatio coram paroco et testibus, sed sufficit quod novus consensus clam ponatur, et quidem illius tantum qui scit impedimentum vel fecte consensit (si altera pars prudenter moneri non possit) propter rationes allatas, § 12, *Dubb. 16.^a*, pág. 402; quia forma tridentina jam servata fuit; cum praescripta fuerit non ad testandam validitatem matrimonii, quae multipliciter testibus potest esse ignota, sed ad probandam externam matrimonii celebrationem, ut occurreretur incommodis ex matrimoniis clandestinis provenientibus (S. A., 1110, 1114; Gur., II, 891-898); *quod*, si conjux alteri serio manifestet se contraxisse absque consensu vel cum alio impedimento, alter non tenetur, ordinarie loquendo, ei credere, quia melior est conditio possidentis, donec contrarium probetur; et dicitur *ordinarie loquendo*, quia si ex circumstantiis aliter censendum esset, puta, si conjux ille esset in articulo mortis, si non soleat peierare, vel si sit persona pia et vellet separari, aut religionem ingredi et alia id genus, tunc habet sufficiens motivum prudenter dubitandi (Giord., l. c., 14).

VI. De agendi ratione confessarii cum conjuges vel alter illorum impotentiam allegant coeundi, quod non paucis interdum difficultatibus scatet, haec pro praxi consideranda sunt. *Primo*, impotentia, quae est inhabilitas ad copulam

maritalem; non ad generationem (nota), quando est *antecedens* matrimonium et *perpetua*, illud dirimit respectu omnium, si est *absoluta*, vel respectu illius personae quacum coiri non potest; si est, *relativa*, ex quacumque causa demum ea oritur, sive ex privatione membrorum generationi inservientium, sive ex improportione vasis mulieris respectu viri, sive ex frigidityte, sive ex nimia caliditate viri, qua semper seminet extra vas antequam possit penetrare (1), sive ex maleficio, quod colligitur quando conjuges excitantur ad copulam cum aliis et inter se frigescent vel a coitu abhorrent, esto alias se diligant (2), sive demum ex abominatione viri erga mulierem ob ejus deformitatem, qua nullo modo possit excitari ad copulam ad quam cum alia excitaretur (3); ita ut qui hac impotentia laborans matrimonium contraxit, invalide prorsus contraxit licet ignorans (S. A., 1095-96); dum e contra non dirimit neque *impotentia temporanea*, licet *antecedens*, quia ea laborans absolute loquendo ad copulam perficiendam idoneus est, neque *consequens licet perpetua* absoluta vel relativa, quia haec jam invenit matrimonium validum, et proinde dissolvere non potest. *Secundo*, ad judicandum quando congressus maritalis licitus sit necne ratione impotentiae consequentis, haec advertenda. Licitus censendus est quando generatio licet sperari facile non possit, tamen semper possibilis est; dum e contra illicitus quando generatio ex eo sequi nullo modo potest; atqui generatio ex congressu semper sequi potest, licet difficulter, quoties vir retinet vim seminalem substantiam aliquo modo emittendi, cum nunc temporis communiter apud physiologos ex experientia receptum sit, ad generationem minime necessarium

(1) S. Th. *Suppl.*, q. 59. a. 1, ad 2 ait: *Caliditas superflua vix potest esse impedimentum perpetuum; si tamen inveniretur, quod per triennium impediretur carnalis copula, judicaretur perpetuum.*

(2) Dari impotentiam *perpetuam* etiam *ex maleficio* verissimam sententiam esse doctores tenent, ait jure Mansella, *l. c.*, p. 1, c. 2, scilicet sive destruendo potentiam generativam nullo reparabilem humano subsidio, sive ita eam ligando et impediendo, ut ordinariis Ecclesiae exorcismis aliove licito modo tolli nequeat.

(3) S. Th., *l. c.* ad 5 ait: *Abominatio autem mulieris non est causa naturalis, sed causa accidentaliter extrinseca: et ideo de ea judicandum idem quod de maleficio.*

esse quod vir seminalem humorem effundat, injiciatque in interiores usque feminei organi partes, sed sufficere quod hujusmodi humor ad externam ejusmodi organi superficiem, seu ad vaginae (ut aiunt) ingressum effundatur et applicetur. Quod si congressus licitus est in hoc casu, ita pariter licitus dici debet quoties, dum vir officio suo perfecte fungi posset, ex parte tamen mulieris, vel propter defectum organi huic operi deservientis, vel propter praesentem complexionis valetudinisque conditionem, congressus perfectiori modo haberi nullatenus potest (1); quod advertat sedulo confessarius, ne properet ad damnandos hujusmodi congressus quasi illicitos, cum proximo periculo salutis sui poenitentis propter incontinentiam; quae sententia tuto in praxi teneri potest (Scav., III, 506, *not.*). Quamvis autem hujusmodi congressus imperfectus ex alterutra parte licitus quandoque evadat, hoc tamen intelligendum quoties congressi aptiori modo conjuges non valeant; cum alias, etsi non teneantur summam adhibere diligentiam ad generationem certiozem obtinendam, obligantur tamen ad cavendum, absque legitima causa, quantum eis possibile est, ne generatio nonnisi difficulter sequi possit. *Tertio*, si impotentia antecedens est certa et patens, minime expectandum, sed statim facienda est separatio, cum matrimonium sit certe nullum; quam separationem efficere possunt etiam ex propria auctoritate, imo debent si adsit periculum incontinentiae; at si adsit periculum scandali (prout communiter adest) debent adire ecclesiasticum judicem, a quo separandi sunt saltem quoad thorum (S. A., 1101; Giord., II, 36). *Quarto*, si impotentia antecedens est dubia, vel dubium praecedat matrimonium vel subsequitur. In primo casu, qui dubitat de sua impotentia non potest nuptias inire, donec, re diligenter investigata, dubium excutiat; at si postea, spectata peritia medicorum et experientis, sit saltem probabile esse potentem, poterit matrimonium inire (bene tamen

(1) Vid. A. Eschbach, *Disputation. Physiologico-Theologicae, etc.* Parisiis, 1884, disp. 1, cap. 4, art. 2, et Ball. ad G., II, 855, ubi recentiora medicinae testimonia et argumentationes referuntur, quae hoc omnimode adstruunt.

confessarius suadebit ei abstinere), quia in dubio favet praesumptio, quod sit naturaliter potens (monita vero ante matrimonium altera parte de tali dubio), ne in tali dubio cogatur perpetuo caelibatum servare; cum praecisis circumstantiis et experienciis, quisque presumatur habilis, etiamsi castissime vivat (Gous., II, 791; Scav., III, 806). In secundo casu, standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur, et ideo tunc datur triennalis experientia; quod triennium incipit a die copulae intentatae et debet esse continuum; quo durante, licite possunt conjuges copulam intentare, quamvis saepe extra vas effundant; excepta impotentia ex improportione, pro qua experientia esset inutilis cum aliter, ut mox dicemus, superanda sit (1). Si, elapso triennio, dubium adhuc sit at matrimonium fuerit consummatum necne, regulariter standum est pro consummatione et ideo pro matrimonii valore; praesertim si mulier dicat se a viro fuisse cognitam, cum non praesumatur velle habitare cum impotente. Si vero id neget, alter affirmet, opus est inspectione medicorum respectu viri et matronarum peritarum respectu foeminae; quae inspectio, aliis deficientibus probationibus, permitti potest et debet cum ratione necessitatis cohonestetur, licet etiam deceptioni obnoxia. Si demum utraque pars fateatur impotentiam post triennale experimentum, exacto juramento ab utroque et servatis aliis de jure servandis, Ecclesiae auctoritate matrimonium nullum declaratur (2). Quinto, si ergo impotentia oriatur ex dicta improportione propter arctitudinem, licet ex comunissima probabiliorique sententia mulier teneatur nedum possit (*Suppl.* 58, a. 1, ad 5), pati incisionem etiam

(1) *Cap.* Laudabilem 5 *de frigid.* S. A., 102-04; Croix, VI, 3, 795. Nota triennium dici continuum quando conjuges cohabitant per major. anni partem, cum non officiat si alter absit per unum vel alter. mensem.

(2) S. A., 1103; Croix, VI, 4, 803; Mansella, p. 1, c. 2, n. 7. Sed nota cum eodem Mansella (*ibid.* in Not.), quod licet ad juris tramites, ubi impotentia est dubia, requiratur continua triennalis cohabitatio, ab aliquot tamen annis Rom. Congregationes, in ejusmodi impotentiae dubiae causis, si certo constet de matrim. rato et non consumm., et instante parte, servatisque de jure servand., plerumq. ad remedium confugiunt pontif. dispensationis a rato et non consumm. conjugio, ut a praescripto triennali experimento deflectant.

cum gravi molestia et dolore, sed (nota) non cum periculo neque mortis neque gravis morbi, practice tamen loquendo non est ad hoc obliganda, si magnam experiatur repugnantiam, cum nemo non videat onus esse plusquam gravissimum hanc incisionem pati cum tanta verecundia (1); dum e converso tenetur pati scissuram claustrum virginalis seu hymenis incisionem per aliquod instrumentum, si vir aliter non possit coire cum ea propter suam debilitatem, tum quia talis reseratio bene potest fieri sine verecundia vel a viro vel ab ipsamet muliere, tum quia molestia non videtur magna cum sit omnibus ordinaria (S. A., 1100; v. Eschbach, *l. c.*, c. 8, a. 2); ex quibus dicendum est in primo casu matrimonium, practice loquendo, declarandum esse nullum, in secundo vero pro validitate standum omnino (S. A., 1097, 1100). Sexto, confessarius ergo prudens ac discretus non cito credat conjugii alleganti impotentiam, et a fortiori non pronuntiet statim ex hoc capite matrimonium esse nullum; caveat summopere ne, in re adeo momentosa ac tot difficultatibus obnoxia, temere procedat, aut quidquam propria auctoritate decernat; sed modeste rem audiat, et brevibus, discretis, honestisque verbis exquirat quae necessaria tantum sunt ad rei intelligentiam, cum prorsus nefas sit ea minutius, quam necessitas exigit, persecrari: et deinde casum examinatum cum omnibus suis circumstantiis ad Ordinarium deferat cujus tantum est statuere et determinare quid in simili negotio fieri oporteat ad tramites juris (Giord., II, 31-6; Scav., III, 806; Gouss., II, 791). Imo de impotentia conjuges non interroget, neque etiam eos, quos forsitan ex confessione noverit vel suspexerit impotentes, praemoneat, si deprehendat in bona fide versari, ne a peccato materiali transeant ad formale, quia non de facili supponendum est quod moniti sit obtemperaturi; neque ipsis, de hoc consulentibus, ultimo respondebit nisi prius ipse consuluerit episcopum. Septimo, soluto matrimonio ex ca-

(1) S. A., 1099 ubi subdit: *Si enim puella non tenetur, nec etiam ad servandam sibi vitam, in aliquo morbo verecundo chirurgi manum pati (IV, 372), quomodo ad id tenebitur, ut ad usum conjugii aptam se reddat?*

pite impotentiae, qua *antecedens et perpetua* iudicata fuit, si forte contingat, ut post novas nuptias a non impedito conjuge celebratas, conjux alter, qui perpetuo impotens credebatur, ad officia matrimonialia obeunda reddatur idoneus, ille conjux non impeditus, relicto secundo toro, ad primum redire tenetur, cum prorsus matrimonium validum fuerit; et si graves urgeant causae, efflagitare poterunt hi conjuges a Papa dispensationem a primo matrimonio rato non consummato, dummodo certo (nota) constet de non consummatione; qua dispensatione obtenta, primus ille conjux novum valebit praestare consensum ad valorem secundi initi matrimonii (Ben. XIV, *Syn.* XIII, 21, n. 5; Mansella, p. 1, c. 2, a. 2. Ex C. Fraternalitatis, 6, *de frigid.*).

VII. Quae, matrimonio jam contracto, interdum obveniunt ad impediendum usum conjugii, prae oculis habere confessarius oportet omnino, ut facilius sese extricet a plurimis, quae occurrunt, difficultatibus. *Primo*, usum conjugii impedit affinitas matrimonio superveniens, seu propinquitas orta inter conjuges ex copula carnalis unius cum consanguineis alterius; et de qua notandum quod orta ex incestu usum impedit in poenam conjugis incestuosi; quod contrahitur ex commercio illegitimo cum consanguineis alterius conjugis usque ad secundum gradum inclusive; quod uxor cognita a consanguineo viri, metu gravi coacta, non privatur jure petendi, quia talis metus sicut a lege ecclesiastica ita a poena excusat; quod non contrahitur nisi per copulam consummatam, ex qua generatio sequi possit; quod in dubiis praesumitur pro copula perfecta, quando de opposito non constat, quia iudicatur ex communiter contingentibus; quod, si reapse constet seminationem alterutra ex parte (quidquid sit de controversia inter physiologos) non esse secutam, in foro conscientiae impedimentum non tenet, quia in dubiis poenae sunt restringendae (S. A., 1075; Ball. ad G., II, 811); quod si uterque conjux per incestum affinitatem cum altero contraxit, neuter potest debitum petere nec reddere, quia sunt correlativa; quod conjux impeditus affinitate (vel voto) adhuc potest (imo alii dicunt teneri) per accidens petere, tum si mulier verecunda sit et vir sentiat

ejus voluntatem, tum si adsit in comparte periculum incontinentiae, quia est interpretative reddere (S. A., 930), tum etiam ob proprium incontinentiae periculum, si dispensatio brevi obtineri nequeat, quia lex ecclesiastica non obligat cum tanto periculo (S. A., 930; Scav., III, 852, *not.*); quod si incestuosus illicite petat, pars innocens reddere potest, quia utitur jure suo reddendi, non tamen tenetur quia nocens excedit jure suo; quod si in incestum alterius alter consensit, peccat quidem graviter, impedimentum tamen non incurrit, tum quia poenae ecclesiasticae non debent extendi de casu ad casum, tum quia poena est contra factum incestus non contra incestus voluntatem (Scav., *l. c.*); quod ignorantia etiam crassa, non tamen affectata (*v. Can. VIII*), tum *juris*, nempe si vir accedat ad consanguineam uxoris nesciens adesse legem humanam id prohibentem, tum *facti*, nempe si sciat quidem legem prohibentem, nesciat tamen illam esse suae uxoris consanguineam, tum *poenae*, nempe si quis habeat scientiam legis et facti, sed poenam non petendi ignoret, excusat ab impedimento incurrendo, quia ignorantia excusat tam a transgressione legis humanae, quam a poena extraordinaria, quae per se scilicet praevideri non potest (S. A., 1072-74, y VII, 44-45, 350-51; Scav., III, 852, *not.*; Gouss., II, 817; D'Ann., III, 340); quod hoc impedimentum debiti dispensatur semper et absolute ab episcopo (*v. C. VII, § 3*); notando tamen superiorem dispensare tantum in lege ecclesiastica, non vero in naturali jure vel tertii, quod a delinquente violatum est ad aliam accedendo, ita ut pars innocens, etiam post dispensationem, jure negare potest debitum ratione adulterii; quod demum, si incestus est reservatus, puta, ab Episcopo, qui habet facultatem absolvendi a reservatis, absolvit quidem ab ipsomet peccato incestus, sed non eo ipso potest auferre poenam incestus, idest incestuosum restituere in integrum, nisi expresse habeat hanc facultatem, cum unum sit ab alio independens (Scav., *l. c.*). *Secundo*, usum conjugii impedit votum simplex castitatis, vi cuius potest quidem conjux eo innodatus reddere, petere autem non item; et nota quod, ad impediendum, votum debet esse absolutum atque perpetuum; quod, sive ante matri-

monium emissum fuerit sive postea, parvi interest ad effectum impediendi; quod qui contraxit matrimonium tali inodatus voto nec petere nec reddere potest, nedum teneatur primo bimestri a celebratione ipsiusmet matrimonii, quia eo temporis spatio a jure dispensantur conjuges a reddendo debito; quod post contractum matrimonium, ab hoc impedimento dispensare potest episcopus, sive votum emissum sit ante sive post matrimonium dummodo emissum non sit mutuo consensu, quia tunc recurrendum est ad Papam (S. A., 986-87; Giord., II, 317; Dob. Vecch., I, 730). *Tertio*, usum conjugii, juxta quosdam, impedit cognatio spiritualis; sed cum hoc sit speculative valde controversum, in praxi autem prorsus inopportunum, vide infra *Dubb.* 3.

VIII. Cum non parvam interdum molestiam afferant variae, quae de divortio inter conjuges oriuntur quaestiones, ideo advertendum, quod divortium, tum quoad torum tum quoad habitationem, justis de causis licitum est, manente nihilominus coniugali vinculo; quod fieri potest non solum per judicis sententiam, sed etiam privata auctoritate, justa interveniente causa, praesertim adulterii etiam occulti, modo ex separatione non interveniat scandalum, quod non posset aliter reparari; quia divortium absolute concessum est a Christo, et durum esset cogere virum publicum in judicio facere crimen uxoris (S. A., 968; Gur., II, 763; Scav., III, 860 *not.*); quod, facto divortio etiam per sententiam judicis, potest innocens adhuc adulteram cogere ut ad se redeat, quia permissio divortii est tantum in poenam non in favorem partis adulterantis, licet raro in praxi possit compelli redire ad virum propter timorem saevitiae aut etiam mortis ab illo inferendae (S. A., 961-67; Gur., II, 768).

IX. Causae autem quae divortium licitum reddunt sequentes praecipue adnumerantur. *Adulterium*, dummodo sit moraliter certum, ad quod non sufficit quaecumque probabilis suspicio, sed requiritur suspicio, ut ajunt, violenta, quae constituat moralem certitudinem de crimine admissio, prout si probetur visum fuisse solum cum sola in eodem lecto et nudum cum nuda, quia alias per solam probabilitatem alter privari non potest sua certa possessione; ex-

ceptis tamen his casibus in quibus adulterium jus divortii non praebet, scilicet: si uterque reus sit adulterii, quia tunc neuter jus habet ad divortium; si conjux consensit in adulterium alterius, quia amisit jus recedendi; si conjux sine culpa formali adulteretur, puta, ob errorem inculpabilem, vel si violenter cognita sit; si injuria sit remissa, sive ante sive post matrimonium. *Crimen*, non quodcumque, sed tantum perniciosum, puta, haeresis, etsi sit occulta, et schisma; quo casu etiam tenetur ad divortium si sit in periculo perversionis. *Sollicitatio ad peccatum*, puta, ad veneficium, vel si vir velit exercere sodomiam cum uxore, etsi ipsa consentire renuerit, vel si alios inducat in domum cum periculo quod tentent ad adulterium. *Saevitiae*, idest mala gravia et diuturna saltem relate ad personas, seu, si prudenter timeri possint quaecumque mala gravia a conjuge vel a propinquis eius, ut si adesset comminatio mortis, frequentia convicia et jurgia, ex quibus nimis molesta redderetur cohabitatio, vel esset periculum abortus intentati, vel mali gravis in aliis filiis aut aliis consanguineis; quo casu si periculum sit in mora, vel si non posset litigare aut judicem adire vel facile saevitiam probare, conjux potest recedere propria auctoritate; alias expectare debet sententiam judicis. *Consensus mutuus*, quo uterque conjux juri suo renuntiat sive ad tempus sive in perpetuum vel quoad torum, vel etiam quoad habitationem, dummodo absit incontinentiae periculum, sive hoc fiat negotiorum causa sive ob finem spiritualem, servatis tamen conditionibus a jure expressis, nempe quod si alteruter, altero consentiente, religionem amplectatur, vel vir Ordines sacros suscipiat, conjux relictus debeat et ipse Religionem ingredi, vel si senex et nullatenus de continentia suspectus, saltem continentiae votum in saeculo emittere (v. S. A., 966, 975; Scav., III, 860, 932). Quoad tamen votum continentiae reciprocum, nedum consulat, confessarius non probet omnino sine longa rei discussione et experientia, ut scite advertunt auctores probati, propter gravissimas quas trahit sequelas, et periculum ne practice male cedat; ac proinde ne properet in sententia dicenda; et si junior vel minus expertus sit, peritiorum consulat ac seniore.